FASCICULUS QUÆSTIONUM
Juris Feudalis
depromptus
ex
COLLEGIO FEUDALI PUBLICO
Viri Magnifici, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi atq; Excellentiſſimi
Dn. DOMINICI ARUMÆI, JCti celeberrimi, Hæreditarii in Lobedaw & Jeſchwitz / Conſiliarii Saxonici, Facultatis Juridicæ Ordinarii, Curiæ Provincialis & Scabinitus Adſeſſoris in inclyta Salana eminentiſſimi, Patroni, Fautoris ac Præceptoris ſui æviternum ſuſpiciendi,
Quem
in nomine SS. Trinitatis
Conſenſu & auctoritate Magnifici, Nobiliſſimiq; JCtorum Collegii in Academia Jenenſi,
Ipſo PRÆSIDE
publicè
In JCtorum auditorio
ad d. Octob.
horis conſvetis
DEFENDET
DAVID PHILIPPUS Bernbeck / Altorfinus.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

JENÆ
Typis WEIDNERIANIS,
Anno 1634.

VIRO

Magnifico, Nobiliſsimo, maximeq; ſtrenuo

DN. HENRICO GERHARDO à Lü-
ſchwitz in Glashütten/Franckenhagen/Streit
& Blanckenfels/ ꝛc.

Sereniſsimo atq; Potentiſsimo Principi ac Dn-.

Dn. CHRISTIANO, Marchioni
Barandenburgenſi, &c.

à

Conſiliis Secretioribus

Fautori, Promotori ac Patrono ſuo ætatèm devenerando ac ſuſpiciendo.

Hocce Exercitium Academicum in debitæ obſervantiæ ſignum, ulterioremque ſui commendationem

Dat, dicat, dedicat

David Philippus Bernbeckh
Reſp.

PRÆLOQUIUM.

QUod Oratoribus & ornatioris eloquii hominibus in more poſitum eſſe videmus, ut antequam ſuam orationem claudant, omnium eorum, quæ in præcedentibus dicta ſunt, brevem quandam enumerationem (quam ἀνακεφαλαίωσιν Græci vocant) proponant ac collectionem: idem & mihi (perducto nunc per Divini nominis clementiam ad finem collegio noſtro juris Feudalis publico) faciendum eſſe exiſtimo. Juſſu igitur & Autoritate Magnifici, Nobiliſſimi atque Ampliſſimi Dn. Præſidis non omnia quidem, ſed præcipua tantùm, quæ in Diſpp. præcedentib. propoſita fuêre, coronidis loco in præſentiarũ reaſſumere conſtitui: Quæ ut feliciter, ac cumprimis in Sanctiſſimi Divini nominis honorem, ac mei qq. utilitatem cedant ac ſuſcipiantur, Deum ter Opt. Max. ex intimis cordium penetralibus invoco ac rogo.

I.

Inter diſputationes Feudales non facilis eſt illa, quinam conſvetudinum harum compilatores fuerint?

IN qua quidem quæſtione non unanimis Dd. eſt conſenſus: *Jaſon ſiquidem in prælud. Feudor. Zaſius in Epit. Feud. in pr. n. 1. Schrad. part. 1. quæſt. 1. n. 3. de feud.* & alii exiſtimant libros hoſce à Gerardo Capagiſto, & Oberto de Orto Pragma-

ticis Mediolanenſibus collectos fuiſſe, tempore quidem Friderici I. ut ex *Ottone Friſing. lib. 2. de reb. geſt. Friderici cap.* 13. conſtat. A qua ſententia non omninò alienus eſſe videtur *Cujac. in pr. lib. 1. de Feud.* qui libri primi collectionem Gerardo, ſecundi verò & tertii Oberto tribuit; quartum verò & quintum ex variis & incertis autoribus collectum opinatur. Alii aliter ſentiunt, quos recenſet ac refutat *Magnif. atq; Ampliſſ. Dn. Præſes D. feud. 1. th. 19.* Nos ab ejus Magnificentia non recedentes, Hugolino non exiguæ Autoritatis JCto, juſſu tamen & autoritate Imperatoris Friderici ſecundi compilationem horum librorum tribuimus, qui eos non ſolùm ex Gerardi & Oberti, verum aliorum etiam fragmentis, cumprimis verò ac præcipuè ex conſvetudinibus tum temporis in Italia vigentibus collegit, atteſtantibus *Baldo in proœm. feud. n. 4. Præp. ſit. in proœm. feudor. n. 7. Alvarott. in Epiſt. dedic. d. feud. Job. Ferrar. Montan. c. 1. d. feud. Sonsbec. p. 1. n. 23. d. feud.*

II.

Digna quoque excuſſione quæſtio eſt, an feudum rectè per contractum definiatur?

Negativam veriorem eſſe putamus, licèt diſſentiant *Schrader. p. 2. c. 2. n. 1 Curt. 2. pr. n. 52 Duar. c. 2. d. feud. Clar. in §. feud. quæſt. 6. Laurent. Sylvan. quæſt. 2.* & Dd. communiter; 1. quia aliud res ipſa eſt, aliud verò modus, per quem res iſta conſtituitur: contractus etenim non ipſum feudum, ſed modum potius illud conſtituendi eſſe, rectè aſſerunt *Cujac. in prolog. feud. & Weſenbec. d. feud. c. 1 n. 3.* Exemplo ſervitutum perſonalium & realium, quæ à contractu, quo inducuntur, multum differunt *§. f. I. de ſervit.* 2. quia contractus feudalis ſolo conſenſu perficitur. Feudum inveſtitura, traditione, ſacramento, & coram paribus curiæ conſtitui conſtet.

3. Si

3. Si feudum contractus appellatione venit, illud intelligendum erit, vel de feudis majoribus ſeu Regalibus, quæ à Principibus conferuntur, vel de minoribus ſeu inferioribus. At non de illis; quia expreſsè pactiones publicæ vocantur *in l. 5. ff. de pact.* neque etiam de his: quia contractus de re privata tantùm & familiari, & quæ in commercio ſunt, fiunt *l. 7. §. 14 ff. de Pact. l. 83. §. 5 ff. de Verb. Obl.* Feudum autem clientela eſt, & potiſſimùm ad caput & ſalutem ſenioris vel utriusque potius inſtituitur. E. conventio hæc in numerum eorum negotiorum, quæ contractus appellantur, non venit. *Magnif. Dn. Præſes D. feud. 1. th. 24. & 3. ſeqq.*

III.

Si pacto receptum ſit, ut fœminæ admitti debeant; num feudum hoc fœmineum dici poſſit, F. F. inter ſe dimicant?

Nos diſtinctionis fœdere rem expediri poſſe putamus: Etenim feudum fœmineum conſideratur, vel quat. opponitur maſculino eique quod a maſculo vaſallo primitus adquiſitum eſt, vel ſpectatur feudi ejus effectus. Priori conſideratione quin feudum hoc maſculinum dici poſſit conſtat, tùm ex *cap. un. de eo qui ſibi vel hered. ſuis. 2. F. 17.* tùm quod feudum fœmineum ſæpiſſimè ab illo, quod pacto adquiſitum eſt pro Fœminis, diſtingvatur, *c. 1. de natum ſucceſſ. feud. 1. F. 8. c. un. de ſucceſſ. fratr. 2. F. 11.* tùm quia à primordio tituli poſterior formatur eventus. *l. 1. C de imponend. lucrat. deſcript.* & initium ſpectandum eſt. *l 33 ff de donat. l. 8. in pr ff mandat.* & qualitas, quæ ſemel ineſſe cœpit, ſemper perdurat, *l. pacta. §. quindecim. ff. de Leg. 3.* Poſteri-

ori verò ad fœminam rectè referri, docet *Magnif. Dn. Præſes D.F. 2. th. 10.*

IV.

Non levem inter F.F. excitat conflictum, num feudum novum jure veteris feudi concedi poſſit, Nach Art und Eigenſchafft eines rechten alten Stammen Lehen-guts?

Sunt plerique Dd. qui Negativam tueri ſententiam nituntur, quibus in hoc paſſu ſuffragatur *Oldrad. Conſil 179.* cujus argumenta & rationes adducit & examinat *Magnif. Dn. Præſes d. D. 2. th. 43.* quæ tamen ejus ponderis non ſunt, ut nos à communiori ac veriori ſententia abducant. Manifeſti namque juris eſt, quod inveſtituræ tenor omni naturæ feudali deroget, & vim contractus oſtendat, *c. un. de duob. fratrib à cap. inveſt. 2. F. 18. c. un. de fratrib. de nov. benf. inveſt. 2. F. 12. c. un. de feud. non hab. propr. feud. nat. 2. F. 48.* cùm igitur ex inveſtituræ tenore conſtet, feudum novum in antiquum mutatum eſſe, quidni & huic mutationi locum eſſe, ſtatuemus. *Paul. de Mont. Pico. in proœm. feudor. n. 126. Curt. jun. p. 1. q. 8. n. 8. de feud. Clar. §. feudum. quæſt. 8. n 8. Gail. 2. Ob. 50. Guerr. Piſo. c. 45. n. 19.*

V.

An Prælatus rem antehac infeudari ſolitam & ad ſe reverſam absque conſenſu capituli, alii in feudum dari poſſit, à multis non ineleganter diſquiri video.

Nos

Nos propter textûs claritatem *in c. 1. extr. de feud.* (in quo expreſsè Prælatum feudum ad ſe reverſum liberè alii in feudum dare poſſe, ſtatuitur) movemur, ut affirmantibus calculi noſtri palmam tribuamus: Particula enim liberè nullius cōſenſum requirere videtur; ſiquidem quod liberè poſſum, ſic videor poſſe, ut etiam alio invito & inſcio id expedire queam. *c. 1. ibi: liberè deferre. de arbitr. in 6. c. cum Epiſcopus 7. in verb. liberè. de offic. ordin. in 6.* Deinde hac infeudatione nullum Eccleſiæ infertur damnum; ſiquidem eodem, quo accepit modo feudum prior vaſallus, eodem & alter accipit. *c. un. in pr. de his qui feud. dar. poſſ. 1. F. 1. c. unic. verſ. profectò ille, de lege Corradi. 2. F. 34.* Quare capituli omittere cōſenſū quid prohibet? Accedit inſuper quod hæc infeudatio rerū infeudari ſolitarū veteris potiùs continuatio, quàm nova infeudatio reputanda, ſeu ut *Cart. junior p. 2. q. 2. n. 8. de feud.* loquitur, non novæ alienatio, ſed primæ potiùs executio. *Magnif. Dn. Præſes D. 3. th. 7. Diſſ. Schneidew. p. 3. n. 28. de feud.*

VI.

Minorem abſque Curatoris ſui conſenſu feudum antiquum renovare poſſe, à nemine ferè in dubium vocatur, an autem idem ad pupillos extendendum, acriter diſceptantes deprehendo Dd.?

Quia autem 1. nullus actus vel contractus pupilli perfici poteſt, niſi tutoris autoritate interveniente, *l. 9. ff. de auct. tut.* §. 1. *l. eod.* dicendum omninò hanc renovationem ipſis concedendam minimè eſſe, cumprimis quando metus periculi alicujus aut damni ſubeſt, quod damnum facilè in renovatione

hac

hac contingere poſſe pulchrè oſtendit *Magnif. Dn. Præſes d. D. 3. th. 20.* Deinde ſi pupillus nullum jus absque tutoris autoritate alienare poteſt, *l. 15 ff. de ſolut.* multò minus renovationem hanc impetrabit, quia obligationem, qua ſucceſſor vaſalli inveudationem petere tenetur, alienaret. 3. quia in renovatione hac ſolennia quædam deſiderantur, nimirum ut ſervitia præſtentur, jusjurandum exigatur, & alia ſimilia adhibeantur, quæ pupillus ignorare poſſit: igitur, ne ejus imbecillitate damnum ſentiat, tutoris autoritatem invenire conſultius eſt.

VII.

Illud non inelegantem Diſputationis aperit campum; ſi vaſallus feudum ſuum vendiderit, an pecunia ex venditione redacta feudalis ſit?

Affirmantium cohorti nos adjungimus 1. per expreſſum *text. in c. Si vaſallus de beneficio. Si de feud. defuncti ſit content. 2. F. 26. ibi: nec quod accipit tranſactionis nomine, feudum erit.* Quæ verba *Franciſcus Aretin. Conſ 90. & Schurff. Conſ. 22. n. 2. cent. 3.* de pecunia intelligunt. 2. nulla ratione negari poteſt, quin pecunia illa, quæ ex feudo redacta eſt, pecunia ſit, ac perinde inter res mobiles, referatur; mobilium autem rerum feudum non eſſe ſatis ſuperque demonſtrat *c. un. quib. mod. feud. amitt. 1. F 5.* & pluribus comprobat *Schurff d. conſ. 22. Weſenb. conſ 79. Magnif. Dn. Præſes D. 4. th. 5. Koppen. deciſ. 18. Fachin. Vol. Poſter. 2. Modeſt. Piſtor. Conſ 10. quæſt. 2. Diſſ. Henning. Gœd. n. Conſ. 84. n. 29.*

IIX.

IIX.

Vehementer ſe torquent Dd. an venatio regalibus ſit annumeranda?

Licet quidam ſint non exiguæ autoritatis JCti, qui negativam defendere conantur, quorum è numero ſunt *Zaſ. in §. æquè n. 24. I. d. Act. & lib. 2. conſ. 6. n. 30. Vult. 1. d. feud. 5. n. 7 pag. 67.* ac alii; Affirmativa tamen magis nobis arridet propter *c. un. quæ ſint Regalia. 2. F. 57.* ubi Feudiſta expreſsè piſcationem ad regalia refert, quidni igitur & de venatione idem dicendum erit, cum ea piſcatione longè nobilior ſit, & ſi illud ineſt, quod minus eſt, multò magis id ineſſe debebit, quod majus eſt. *l. 19. c. d. Teſtib.* Accedit, quod Imperatori jus foreſti, vulgo den Wildtbahn/oder Förſtliche Obrigkeit/ſoli competat, ac iis, quibus ipſe (ut Ducib. Comitib. Baronib. & Nobilib.) concedere ſolet, quis igitur eam ad regalium claſſem referri poſſe dubitet, cum ſummo Principi in ſignum præeminentiæ concedatur. Sermo autem hic nobis eſt de regalibus minoribus cum *Pruckmanno in tr. d. Regal. §. venatio c. 1. Petr. Heig. p. 1. quæſt. jur. Civ. & Saxon. 15. n. 45. Magnifico Dn. Præſide D. 4 th. 15. Arniſ. lib. 3. d. jur. Maj. c. 4. n. 11.*

IX.

Difficilis mirumque in modum agitata quæſtio eſt, an Vaſallus jurans Domino contra patrem auxilium ferre debeat?

Hæc quæſtio apud interpp. dubio non caret: Nos tamen exploſâ negantium opinione in Affirm. caſtra tranſcendere non veremur. 1. per *tx. in c. unic. in f. Hîc finitur lex. 2. F. 28.* à quo recedendum nullo modo eſt, docente *Jacobo de Bellovіſ. ad § f. d. c. unic.* 2. Si Dominus contra omnem hominem defendendus eſt, *c. unic. de nov. form. fidel. 2. F. 7.* utique etiam contra

ipſum

ipſum patrem defendendus erit, quia particola Omnis eſt univerſalis, & neminem excludit. 3. Fortius ſtringit vinculum juramenti, quo quis Deo obſtrictus eſt, quam quo homini. At in hoc caſu Vaſallus Domino jurans Deo obſtrictus eſt. *d. c. un. d nov. form. fidel.* E. juramentum illud obſervari debet. Pluxes rationes adducit *Magnif. Dn. Præſes D. 5. th. 29.* quæ ap. eum videri poſſunt. Addatur *Zaſ. p. 1. n. 1 d. feud. Sonsb p. 1. n. 30.*

X.

Jure Civili ad præſcriptionem bonam fidem requiri ſatis expeditum eſt, An autem idem jur. feud. obtineat, dubitatur?

Bl. d præſcript. p. 4. pr. 4. quæſt. 1. n. 3. Schrader. p. 5. c. 4. n. 11. & Rittersh. lib. 1. d. feud. c. 18. quæſt. 6. Negativam amplectuntur, quorum tamen ſententiæ ſuffragari haud poſſumus, propter *c. un. an præſcript. feud. adquiratur. 2. F. 87.* quod caput licet extraordinarium ſit, ac proinde autoritas ejus nulla eſſe videatur; allegari tamen rectè poteſt, quia caſus hic in reliquis tex. juris feudalis deciſus non reperitur, docente *Magnifico Dn. Præſide D. 5. th. 32. & D. 1. th. 17.*

XI.

Magna quoque jurium diverſitas eſt circa quæſtionem hanc: An Pater de novo feudo in præjudicium filiorum diſponere poſſit?

Affirmativa d. jure verior videtur: 1. quia ſi feudum filiis per patrem adquiritur, ut in hac noſtra quæſtione manifeſte liquet ex *c. un. verſ. Si Capitanei. ibi: Nepotes per inveſtituram patris & avi in beneficium ſuccedunt. de feudo Marchiæ 1. F. 14.* Se-

quitur

quitur id ipſum iis per patrem qq. adimi poſſe, cum ead. adquiſitionis & ademptionis ſit ratio. *arg. l. 35. ff. d. R. J.* 2. *Per c. un. de filiis natis ex matr. 2. F. 2* ubi filii naſcituri coguntur ſtare pacto & diſpoſitioni patris, quod ex primo matrimonio debeant eis in feudo præferri, quod certè non alia ratione receptum, quàm quia illi per patrem ad feudum venturi erant, & ideò per illum repelli poſſunt, *l. 13. §. 1. ff. de adquir. vel amitt. poſſ.* 3. denique quia pater filiis in odioſis præjudicatur *c. un. Si Vaſallus feud. privetur. 2. F. 31. c. un. inf. quæ fuit prim. cauſa benef. amitt. 2. F. 24.* Et. multò magis in favorabilibus id ei permittendum erit. *Magnif. Dn. Præſes D. 6. th. 5.*

XII.

Nodoſa, aſſiduoque Dd. vomere ſubacta, quæſtio eſt, an legitimati per ſubſequens matrimonium in feudis ſuccedant?

Affirmantibus noſtrum damus applauſum: 1. quia legitimatus per ſubſequens matrimonium legitimus non ſolùm patri, ſed omnibus etiam aſcendentibus eſt. *Nov. 89. c. 9.* nec quicquam à legitimis differt. *d. Novell. 89. c. 9. verſic. ſit igitur licentia.* Et. quin cum iis ſuccedat, dubitandum minimè eſt. 2. Effectum rei ſi habemus, non opus eſt, ut curamus media ad eum ducentia. *arg. l. 6. ff. d. præſer. verb. l. 27. ff. d. mort. cauſa donat.* At in hoc caſu, quod effectum ſcil. legitimitatem habeamus abundè probat *d. Nov. 89.* Quid igitur, ut de mediis illis multum ſimus ſolliciti, nos urget? 3. quia cauſa, quæ naturalem arcet à ſucceſſione feudi, ſcil. illegitimitas, per ſubſequens matrimonium tollitur. Et. idem qq de effectu dicendum eſſe manifeſtè liquet. 4. Habilitas ſuccedendi inſpicitur tempore delatæ ſucceſſionis. *l. 59. ff. de condit. & demonſtr. l. 5. ff. d. ſuis & legit. hered. l. 1. §. 8. ff. unde cognat.* At in hoc caſu tempore ſucceſſionis habilitas penes legitimatum eſt. Et. cur à ſucceſſione hac

arceri debeant, nihil nos movet. Plures rationes & argumenta qui deſiderat, conſulat *Magnif. Dn. Præſid. D. Feud. 6. th 27.* ubi hanc ſententiam Cameræ imperialis præjudicio firmatam eſſe teſtatur.

XIII.

Acris inter Dd. pugna eſt, an alienationis vocabulo uſusfr. veniat?

Affirmativa nobis magis arridet 1. ubi juris ratio viget, ibi & ejusdem diſpoſitio vigere debet. *arg. l. 32 ff. ad L. Aquil.* At in uſusfructus conſtitutione ratio prohibitæ alienationis feudalis obtinet *c. un. in pr. d. prohib. feud. al. per Lothar. 2. F. 52. c. un. de prohib feud. al. per Frider. 2. F. 55.* E. & ipſa qq. diſpoſitio. 2. Ubicunque rei traditio eſt, ibi vera qq. alienatio eſſe intelligitur. At in Uſusfr. conſtitutione res alicui traditur non quidem ad hoc ut Dominus rei ſit, ſed ut ejus juris, quod Vaſalli eſt, utilitatem percipiat. E. per uſumfr. hunc res verè alienata perhibetur. 3. Dominum feudi ex omnium conſenſu à Vaſallo alienari nequit. *c. un. d. prohib. feud. alien. per Lothar. 2. F. 52.* Uſusfructus autem eſt pars dominii. *l. 4 ff. de Uſufr.* E. quod juris in toto eſt, idem qq. de parte, quoad partem ſtatuendũ erit. *l. 76. ff. de R. V.* 4. Omnes alienationes & translationes feudi prohibentur, per quas ejusdẽ poſſeſſio transfertur. *c. un. ibi: pignorare, vel quocunq; modo diſtrahere. d. prohib. feud. alien. per Frider 2. F. 55.* At uſusfr. conſtitutione poſſeſſio transfertur. Uſufructuarius ſiquidem poſſidere dicitur. *l. 12. ff. de Adquir. & amitt. poſ. l. 3. §. 13. ff. d. vi & vi armat. Er. Magnif. Dn. Præſes D. 7. th. 7.*

XIV.

Si Subvaſallus feudum alienare velit, utrumne ſub infeudantis, an vero Domini ſuperioris conſenſum adhibere debeat,

quæ-

quæſtionis non adeò expeditæ eſt ?

Utraq; ſententia ſuos habet defenſores ac Patronos: *Hartmannus* namque *Piſtoris 2. q. 45.* nec non *Facbin. controv. 53.* ſubinfeudantis conſenſum ſufficere exiſtimant. Alii ſolius Domini ſuperioris conſenſum requirunt, quorum in numero ſunt *Jacob. d. S. Georg. in verſ. & cum pacto de alienando. n. 21. Clar. §. feud. quæſt. 32.* Nobis utramque ſententiam conjungere, ac utriusque tàm Domini ſuperioris, quàm ſubinfeudantis conſenſum requirere placet: Quia utriusq; intereſt; ac Domini quidem ſuperio is propter directum dominium; ſubinfeudantis v. ne ipſi invito alius obtrud tur Vaſallus, ut pulchrè oſtendit *Magn. Dn. Præſes D. 7. th. 19.* & quos ibi allegat *Andr. d. Iſern. Matth. de Affl. & ad c. un. de probib. feud. alien. per Frider.*

XV.

Non inutiliter quoque quæri poteſt, Si Vaſallus ſecretum Domini ſui revelaverit, an propterea feudo ſit privandus ?

Affirmativam tuentur *Alvarott. & Prepoſit. in c. ſi capitanei. Jacob. d. S. Georg. in verſ. dicti Vaſalli promiſerunt non commit. n. 28. Z. aſ p. 10 n. 54 Sonsbec. p. 12. n. 62 Weſ. c. 15. n. 6. d. feud.* Si ſcil dolo malo fecerit, & animo dominum afficiendi damno, ita ut revera etiam damnum ſubſecutum fuerit, per *c. ſi capitanei, quib. mod. feud. am. tt. 1. F. 17. c. unic. d. form. fidel. 2 F. 6* Verùm hanc limitationem non immeritò improbant, & ſupervacaneam eſſe contendunt *Matth. d. Afflict. in d. c. ſi capitanei n. 22. Borcehold. d. feud. c. 8. n. 126. Schrader. p. 9. c. 5. n. 50.* 1. quia textus feudalis hanc contradictionem non requirit in *d. c. ſi capitanei.* 2. quia Vaſallus relevando ſecreta in crimen prodit onis incurrit, & hac ratione quin ſtatim nullo attento damno feudo cedat, nullum dubium eſt. 3. quia revelator ſecretorum facit

contra juramentum fidelitatis. *c. un. qualiter Vaſall. jur. deb. 1. F. 5. c. un. d. form. fidel. 2, F. 6. & c. un. d. nov form. fidel. 1. F. 7.* qui autem contra juramentum facit, quod is feudum amittat, etiamſi damnum ſubſecutum nullum fuerit, manifeſtiſſimum eſt. *Magn. Dn. Praſ. D. 8. th. 33.*

XVI.

Dubia qq. & notabilis quæſtio eſt, an Vaſallus iisdem de cauſis feudo privetur, quibus filius exheredari. *Nov. 115. c. 3.* Donatio revocari, *l ult. C. d. revoc. donat* & Matrimonium diſſolvi. *l. 8. C. de repud.* poſſit?

Borch. d. feud. c. 8. n. 131. Hanneton. lib. 3. d. feud. c. 10. Jaſon in prælud. feud. Zaſ. part. 10. n. 23. & alii id regulariter verum eſſe ſtatuunt: quorum opinioni & nos ſubſcribimus, modò tale quid in dominum commiſſum ſit, ob quod vel filius exheredari, donatio revocari, vel matrimonium diſſolvi poſſit, docente *Roſenthal. d. feud. cap. 10 n. 5.* Nam ſi univerſaliter id, etiam Vaſalli reſpectu ſtatuere velimus, multa inde orirentur abſona; ſiquidem etiam matrimonium adulterio diſſolvitur. *d. l. 8. C. de repud.* Et etiam Vaſallus ex omni adulterio feudo privandus eſſet, quod univerſale non eſt, cum in txx. feudalib. certæ tantùm enumerantur perſonæ, cum quibus Vaſallus coeundo, feudo cadat *c. 1. §. 1. quibus mod. feud. amitt. 2. F. 24.* Sic qq. diſſolvitur matrimonium, ſi maritus homicida factus eſt. *d. l. 8.* & tamen Vaſallus propterea non ſemper feudo privatur, quia fratrem domini interficiens nihilominus feudum retinet. *c. 1. An ille, qui interfecerit fratrem Domini 2. F. 37. Magnif. Dn. Praſes D. F. 8. th. 27.*

XVII.

XVII.

Non levis Feudiſtarum noſtrorum contentio eſt, an interdicta poſſeſſoria Vaſallo contra Dominum concedi debeant?

Sunt nonnulli Dd. qui diſtingvendum putant inter adipiſcendæ vel retinendæ poſſeſſionis interdicta, & inter recuperandæ poſſeſſionis interdictum unde vi, ut illa quidem Vaſall. contra dominum concedi poſſint, hoc non item. Verùm ab his in diverſum imus, & ut Vaſallum interdicto recuperandæ poſſeſſiones unde vi, contra Dominum licitè experiri poſſe ſtatuamus, ſequentes nos movent rationes: 1. quia dominus Vaſallo ad paria tenetur. *c. un. verſ. Dominus de form. fidel. 2. F. 6.* Ergo frangendi fidem fides frangatur eidem. 2. per expreſſum tex. *in c. un. verſ ſi verò. de milit. Vaſall. qui contumax eſt. 2. F. 22. ibi: ſi Dominus feudum malo ordine invaſit, quod fit per violentiam, poteſt dominum accuſare.* 3. quia nullibi in jure feudali hoc denegatur Vaſallo. Ergo diſpoſitioni juris civilis ſtandum eſt, quo contra omnes non exceptos interdictum unde vi conceditur. *arg. c. un de feud. cognit. 2. F. 1.* quia ſi Dominus Vaſallum non habet ut Vaſallum. Ergo nec Vaſallus dominum ut dominum habere cogitur. *c. eſto ſubjectus. diſt. 95. Magn. Dn. Præſes D 9. th. 8 Roſenb. c. 10. concl. 23. n. 1. 2. 3. & 4. & c. 12. concl. 13. n. 42. Ziſ. p. 11. n. 24. Weſ. c. 10. n. 15. Vult. 2. de feud. c. 1. n. 23.* qui poſſeſſoria recuperanda in Camera quoque Imperiali Vaſallis concedi ait.

XIIX.

Finem imponat Diſputationi noſtræ quæſtio illa, An reconventio in feudalibus judiciis locum habeat?

Gl.

Gl. in c. un. verb. faciendum de controverſ. feud. ap. parti termin. 2. F. 16. ibiq; Andr. de Iſernia n. 3. Bl. n. 3. A. varoti. n. 5. Blanch. lib. 4. c. 1. n. 57. Gail. 1. Ob. 1. n. 57. & alii id affirmant, ſtatuuntque id non ſolum verum eſſe in cauſa tantum feudali, verùm etiam in alia quavis *per l. 14. & auth. ſeq.* C. *de ſent. & interloc. omnium ind.* Verùm hanc ſententiam non aliter admittendam eſſe, niſi & ipſa reconventionis cauſa feudalis ſit, aut certè talis, quæ cauſam reconventionis aliquo modo concernat, rectè docent *Magnif. Dn. Præſes* D. *9. th. 12. Mynſig 4. Ob. 90. Hartm. Hartm. Pract. Obſerv. tit. 54. de feud. obſerv. 27.*

Atque hæc Collegio huic noſtro feudali Coronidis loco adnectere placuit. Deo immortali ſit laus, honor & gloria in ſempiternum, Amen.

Ad Præſtantiſſ. Dn. Reſpondentem

Publica dum rurſus, *Bernbecki*, pulpita ſcandis,
Et vires tentas ſedulitate datas.
Gratulor, &, quæ jure tuó benè multa mereris,
A Themide adcipias præmia digna, precor.

Valentinus Riemer D.

Sed quid de Feudis disquiris Candide Frater
Ut noſſes quis ſit debitor alterius?
Quæ fieri liceant olim tractaſſe juvabat
Cum Themis haud Mavors jura tremenda dabat,
Nam non quæ liceant hodie disquiritur; At quid
Viribus illicitis dextra cruenta queat.
At non de plebe es Multum Doctiſſime Frater
Non te turba ferox, ſed juvat Alma Themis.
Macte tuo ingenio tibi gratulor, & precor ut cui
Gnaviter invigilas digna brabea ferat.

Præſtantiſſ. ac Scientiſſ. Dn. Reſp. Amico
Commenſali ſvaviſſimo ita
acclam.

Thomas Millies Lubecenſis SS. Theol. Stud.

F I N I S.